
# EPISTOLA
# PASTORALIS

*AD*

## CLERVM ET POPVLVM VNIVERSVM
## SCYLLACEAE DIOECESEOS.




ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PEREGO-SALVIONIANA

*PERMISSV PRAESIDVM.*



# ANDREAS MARIA RISPOLI

E CONGREGATIONE SSMI REDEMPTORIS

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

## EPISCOPVS SCYLLACEVS

SSMI DOMINI NOSTRI LEONIS PAPAE XII.

PRAESVL DOMESTICVS, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS



*ORDINI CANONICORVM, VTRIQVE CLERO, ET POPVLO DIOECESIS SVAE*

*Pacem, et salutem a Domino sempiternam.*

Qui ab ineunte aetate, *Ven. Fratres, et Filii in Christo carissimi*; sacrae beati ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO Familiae nomen dederam, in eâque honoris cujuslibet, et dignitatis specie abdicatâ delitescendum mihi totâ vitâ statueram, ecce nunc praeter omnem cogitationem amplissimo, simul et gravissimo munere auctum me esse perspicio. Nimirum FRANCISCI I. Regis nostri beneficentiâ designatus, LEONIS vero XII. Pont. Max. auctoritate Episcopus vester rite constitutus, Scyllaceam istam Ecclesiam regere, et gubernare compellor. Quod quidem ubi primum accepi, haud potui, fateor, quin vehementer expavescerem, cum statim ea menti occurrerunt, quae Apostolus Paulus in Episcopo requirit, et maxime *irreprehensibilem* eum esse oportere, quo

quidem uno omnia complecti visus est. Deinde vero quae sancti Ecclesiae Patres, aliique sapientissimi viri ex ejusdem Apostoli doctrinâ de Pastorali munere docenda, monenda censuerunt. Etenim „ nemo sapiens, inquit Nazianzenus (1), „ laeto animo creatur Episcopus, si quis pericula, et sup- „ plicia ei proposita considerat: „ Agustinus porro (2), nihil „ esse in hac vitâ facilius, et laetius, et hominibus accepta- „ bilius Episcopi officio, si perfunctorie, atque adulatorie „ res agatur; sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et „ damnabilius: item nihil esse in hac vitâ difficilius, labo- „ riosius, et periculosius Episcopi officio, sed apud Deum ni- „ hil beatius, si eo modo militetur, quo noster Redemptor „ jubet. „

Neque id satis. Memini enim, quae Athanasius Episcopum alloquens dicat (3): „ Scire oportet, et nequaquam „ ambigere, te priusquam ordinem reciperes tibi vixisse, or- „ dinatum autem illis vivere, quibus es ordinatus. „ Audio Bernardum me etiam interpellantem (4): „ Dic mihi, „ Episcope, ad quid electus es? ut Vicario, ac Visitatori gu- „ bernationem committas, et tu deliciis affluens, pompâ, „ et ornatu majestoso utaris, pauperes pereant, tu vero, et „ famuli tui splendide vivatis? „ Haeret denique menti infixum, quod Ivo Carnotensis (5): „ Quid est Episcopatus, „ nisi cruciatus? quid aliud est hic honos, nisi onus? „ Haec autem omnia, aliaque hujusmodi memoriâ repetens, illud primum vobis, *Ven. Fratres, et Filii dilectissimi*, cum Gregorio Magno dicere cogor (6): „ Quod me ad E-

(1) Libr. III. de Sacerdotio.

(2) Epist. CXLVIII. ad Valer. apud Gratian. can. 7. distinct 40.

(3) Epist. ad Drogontium.

(4) Epist. CCLVI.

(5) Epist. XXVII.

(6) Lib. I. Epist. XXIV. ad Constantinopolit.

„ piscopatus ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, „ plangite, quia tantae sunt occupationes, ne per Episcopa- „ tus ordinem pene ab amore Dei me videam esse separa- „ tum, quod incessanter defleo, atque ut pro me Domi- „ num exoretis, rogo. „

Deinde vero ad luminum Patrem conversus, supplex peto, semperque petam, ut qui honoris fuit auctor, idem sit infirmitatis meae adjutor, et det mihi *assistricem sapientiam, quae mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud eum*. Interea tamen nihil me, Deo juvante, praetermissurum spero, quod ad mei muneris partes rite obeundas, et ad animarum vestrarum salutem, et commodum pertinere posse arbitrabor. Id porro quo facilius praestem, mihi dicta putabo, quae Petrus Blesensis olim ad Carnotensem scribebat Episcopum (1): „ Hodie in promotio- „ nibus quorumdam prima quaestio est, quae sit summa „ redituum, non quae sit conversatio subjectorum: verum- „ tamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te pro- „ pter onera, non ad multiplicandum numerum familiae, „ non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam „ scientiam salutis plebi ejus. „ Neque jam excident umquam ex animo, quae Gregorius Magnus monet (2): „ Non „ sibi credat (Episcopus) solam lectionem, et orationem „ sufficere, ut Episcopus remotus studeat sedere, et de ma- „ nu minime fructificare, sed largam manum habeat, alie- „ nam suam inopiam credat, quia si haec non habet, vacu- „ um Episcopi nomen tenet. „ Quin immo pauperum clamoribus, quos Bernardus commemorat (3), aures continenter re-

(1) Epist. XXIV. ad Rinaldum Carnot. Episcop.

(2) Epist. ad Secundinum.

(3) Epist. XLII. ad Henric. Archiep. Senon. c. 2.

sonare arbitrabor: „ Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt: Dicite, Pontifices, in freno quid „ facit aurum? Nobis frigore, et fame laborantibus, quid „ conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata „ in manticis? Nostrum est, quod effunditis: nobis crudeliter „ subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostra non curatis „ crura nuda caligulis. Anuli, catenulae, tintinnabula, et „ clavatae quaedam corrigiae, multaque talia tam speciosa „ coloribus, quam ponderibus pretiosa, et fratrum lateribus nec semicinctia miserantes apponitis? „ Postremo solitudine, quam tantopere adamavi, omnino relictà, vobiscum semper esse contendam, memor, quod „ in Clero, et populo vitia pullulant, cultus divinus minuitur, sancta spernuntur, oriuntur errores, decrescit fides, crescunt insolentiae, ecclesiasticus Status contemnitur, conculcatur libertas ecclesiastica, patitur saepe detrimentum justitia, „ aedificia collabuntur, dum proprius Judex non ministrat „ (1). Nam non debent Episcopi propter inquietudinem ad „ remotiora loca secedere, et ministerium negligentes proprias deserere Civitates (2).

Dum vero haec omnia gemens, et tremens mecum ipse tacitus considero, et pro viribus praestaturum, Deo dante, confido, ad vos conversus, qui meae fidei traditi, non parum refici, et recreari intelligo. Neque enim illustres solum vos estis originis antiquitate, et praestantissimorum virorum copià, quos inter *Cassiodorus*, qui ingenio, virtute, et agendi vi temporibus illis facile princeps, et sub Theodorico, et Alarico Gothorum Regibus Italiae totius Praefectus, honoribus tamdem abdicatis, in Classense Monasterium

(1) Greg. XI. Constit. de Resident. apud Raināld. an. 1375.

(2) Capitul. Caroli M. c. 41. lib. 1.

se abdidit, ibique pie decessit, aliique amplissimi viri, verum etiam quod primi ex Brutiis Evangelii luce donati, et Zachariam primum habuistis Episcopum sub Vigilio Pont. Max., aliosque deinceps cum doctrinae, tum pietatis laude praestantes, qui majores vestros ad omnem virtutem, atque honestatem informandos curarunt. Huc porro cum accedat et Catholicae Religionis studium, quod semper ostendistis, et ea morum docilitas, quà Pastorum vestrorum monitis libenter parere visi estis, dubitare nullo modo posse reor, quin Pastorale munus, quod per se gravissimum, et vel ipsis Angelicis humeris formidandum, aliquanto levius mihi sit futurum.

Post haec, vos primum, ut par est, alloquor, *spectatissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici*, vobisque laetor, mihi vero gaudeo, quod sciam eà vos morum probitate, et doctrinae laude praestare, ut tanto ceteris excellatis merito, quanto honoris gradu antistatis. Pergite tamen, et quoniam Senatus, et consiliarii Episcopi estis, nolite unquam gravari, quod me Pastoralibus curis districtum qua consilio, qua operâ semper adjuvetis.

Sed jam vos compello, *animarum Curatores mihi probatissimi*, qui incumbere mecum debetis in opus ministerii. Vos probe scitis muneris vestri partes esse, ut concreditum gregem pascatis verbo Dei, et Sacramentorum administratione. Instantes igitur sitis, oportet, ministerio verbi, et fideles dispensatores multiformis gratiae Dei; providentes tamen non coacte, sed voluntarie. Portatis quidem, fateor, pondus diei, et aestus, sed sustinete, et accipietis immarcescibilem coronam gloriae.

Ad vos nunc sermonem converto, *Sacerdotes*, *Levitae*, et quotquot ecclesiasticae militiae nomen dedistis. Vos jam

terrestribus omnibus abdicatis, Dominum elegistis tamquam partem hereditatis vestrae. „ Qui autem, inquit Hierony-„ mus (1), Dominum partem habet, talem se exhibere de-„ bet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Do-„ mino. Quod si quidpiam aliud habuerit praeter Domi-„ num, pars ejus non erit Dominus. „ Nihil igitur vobis cum mundi illecebris, nihil cum negotiis saecularibus, nihil cum corporis ornatu, et vestium cultu, nihil denique cum iis omnibus, quae Deum omnino non spectant, ut nemini detis ullam offensionem, et non vituperetur ministerium nostrum.

*Ven. Religiosorum Ordinum Alumni*, id unum dicam vobis, ut Patrum vestrorum vestigia sectantes, pro viribus me adjuvare velitis in animarum salute curandâ, et nocturnis, diurnisque precibus ea mihi ab Deo impetrare auxilia, quibus possim me praestare operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

*Optimatès*, qui generis nobilitate; *Magistratus*, qui honoris amplitudine ceteris praestatis, quid boni a vobis non sperem, si exemplo, si aequitate probatissimi? Memoriâ, quaeso, repetite, quod ad Timotheum Paulus (2): *Divitibus hujus saeculi praecipe, non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Postremo os meum patet ad vos, *Filii in Christo carissimi*, cujusque ordinis, et conditionis Cives, qui corona mea, et gaudium meum eritis, spero, futuri. Fidei depositum, quod singulari Dei beneficio a majoribus tra-

(1) Epist. ad Nepotian. (2) I. ad Timoth. VI. v. 17. 19.

ditum, oro, atque obsecro, fideliter custodite: omnia Dei mandata facta in veritate, et aequitate religiose servate: Sacerdotibus, aliisque Dei Ministris debitum praestate honorem: sanctificate dies festos, et pavete ad templum sanctum Domini: Dei verbum libenter audite, ut habeatis pacem in finibus vestris. Ità profecto fiet, ut omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitià, et solliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

Haec autem omnia tum denique recte, atque ex ordine praestabitis, si ab Deo multà prece petatis auxilia opportuna. Quae ut facilius impetretis, eorum quaerite suffragia; qui amici Dei facti jam sunt, et habitant in domo Domini, et in aeternum laudant eum. Et primum quidem DEIPARAE VIRGINIS, quae Mater Dei, et nostra, et simul misericordiae, et sanctae spei, et cui sideribus receptae Cathedrale templum dicatum; ac deinde sancti AGATHII, cujus in tutelà estis, aliorumque Caelitum, quorum mortales exsuviae apud vos tam religiose coluntur.

Interea tamen dum preces funditis, orate primum pro LEONE XII. Pont. Max., ut qui elegit eum ex omni carne, et constituit Dominum domus suae, et Principem omnis possessionis suae, idem Deus mittat ei auxilium de sancto, et tribuat ei secundum cor ejus, et omne consilium ejus confirmet.

Deinde pro pientissimis Principibus nostris FRANCISCO I. Rege, ejusque conjuge ELISABETH Regina cum totà Regià domo, ut Deus bona quaeque plenà manu in eos congerat, et quam diutissime sospitet.

Tum quoque pro Eminentissimo Viro JULIO MARIA Episcopo Ostiensi, et Veliterno Cardinali DE SOMALIA, sacri pur-

purati Senatus Decano, qui doctrinâ, virtute, aliisque sane nominibus cuique probatissimus, et qui me et perbenigne excepit, et beneficiis ornavit, et vero etiam mysticâ sacri Chrismatis unctione perfudit, quae omnia memoriâ colam sempiternâ.

Denique pro me, qui non cesso quotidie orare pro vobis, ut dirigam in veritate viam meam, et inhabitet in me virtus Christi, cujus providentiâ, et consilio, nescio quo, nullo tamen meo promerito, Episcopus vester constitutus, dicere ut vere cum Salviano possim: „ Consilium divinitatis ignoro, satis sit pro universis rationibus dicere : Auctor Deus.„

Haec dum scribo, *Ven. Fratres, et Filii in Christo dilectissimi*, singulis quibusque fausta omnia, ac prospera ex animo adprecatus, ac paternâ omnes caritate complexus, vobis benedictionem peramanter impertiens, oro, obtestorque, ut de rore caeli, et de pinguedine terrae ab illo benedicamini, qui est benedictus in saecula. *Amen*.

Datum Romae extra Portam Caelimontanam IV. Kal. Apriles, Feriâ secundâ sollemnium Paschalium, ipso die consecrationis nostrae, an. MDCCCXXVI.

